



Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

De Iuramentis. Cap. x.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

& Ambrosius. lib. 1. de virginibus, inquit, Nemo miretur, si angelis compararentur, quæ angelorum domino copulantur. Cytillus carbec. 12. Non ignoremus castitatis gloriam, angelica enim est corona, & supra hominem hæc perfectio, Nazian. in Carmine de virginitate.

Salve virginitas divino tradita dono,
Mater inoffensæ vita, bonam maxima fundet
Christi pars, & spiritibus sociata supernu.
Ignarus thalami.

Pluraque de virginitate tradit, & refert Bellarm. in q. controu. gener. tom. I. de monach. cap. 28. lib. 2.

DE IVRAMENTIS.

Cap. X.

S V M M A R I V M.

- 1 Vramentum, ut sit licitum tres comites habere debet, iustitiam, judicium, & veritatem.
- 2 Juramentum, quid sit.
- 3 Juramentum est duplex assertorium, & promissorium.
- 4 Juramentum etiam tripliciter dividitur, in deliberatum, & solemnizatum, deliberatum, & non solemnizatum, & nec deliberatum, nec solemnizatum.
- 5 Juramentum novem de causis efficitur licitum,
- 6 Juramentum pluribus etiam de causis illicitum efficitur.
- 7 Juramenta irritantur à Papa, qui solus à iuramento licto absolvere potest.
- 8 Juramenta servorum à dominio possunt irritari.
- 9 Juramenta uxoris à marito possunt irritari.
- 10 Juramenta monachorum possunt abbates, & alii eorum superiores irritare.
- 11 Episcopi à juramentis ante perjurii incusum, absolvere possunt.
- 12 Juramenta sub pluribus, & diversis formis praestantur.
- 13 Juramenti forma, quod Imperator Papa praestare tenetur.
- 14 Juramenti forma, quod reges Papa praestare tenetur.
- 15 Juramenti forma, sub qua Episcopi Papa obedientiam praestant.
- 16 Episcopi Apostolorum limina singulis trienniis visitare tenentur.
- 17 Episcopi possessiones ecclesiistarum, de novo infeudare, aut alienare non possunt.
- 18 Vassalli juramentum sub qua forma praestetur.
- 19 Foemina quandoque est capax feudi, & juramentum praefat fidelitatis,
- 20 Juramentum fidei professionis, qui depositores praestare tenentur.

21 Fidei



- 21 Fidei professione ut doctorandi emittere tenentur.
 22 Episcopi, vicarij non recipentes à Doctoribus, & scholaribus fidei professionem, in graves censuras incur- runt.
 23 Fidei professionis forma, quæ sit.
 24 Fidei professionem ad cathedrales, & alias ecclesiæ assumenti, qui emitte-re teneantur.
- 25 Fidei professione à quibus intra duos menses præstari debeat.
 26 Canonici fidei professionem non emit- tentes, non faciunt fructus suos.
 27 Canonici fidei professionem non emit- tentes, fructus præbenda amittunt.
 28 Iuramentum, an sit licitum vel ne, cognitio spectat ad forum ecclesia- sticum.

SPONSALIA, de quibus proxi-
mè egimus, sæpè firmantur jurame-
to, quare de juramento hic dicere op-
portunum censemus. Juramentum ideo,
ut sit licitum, † tres comites habere debet,
judicium, iustitiam, & veritatem, hoc est,
ut verum sit, quod juratur, sitque justum,
& cum reverentia debita adeò fiat, non
autem leviter, sed discreter, & ex causa né-
cessaria, considerando locum, causam,
tempus, & cæteras circumstantias, ut cum
judicio non præcipitanter, & temerè fera-
tur. cap. & jurabunt, 22. quest. 1. Navarr. in
c. 12. num. 13. tom. 3. & Graff. decif. aur. c. 3.

nam 3. & 4. lib. 2. part. 2. † est enim jura-
mentum assertio, vel negatio aliquo lici-
to possibili, & honesto, sacræ rei attestatione
firmato, Hostien. in sum. num. 1. de
jure. † & est duplex, assertorium, &
promissorium, assertorium aliud de ca-
lumnia, & aliud de veritate dicenda; pro-
missorium vero de faciendo, de persol-
vendo, de judicio sisti, & judicatum sol-
vendo, & his similia, ut per eundem Ho-
stien. §. quot sunt species, numer. 3. eod.
tit.

Juramentum † dividitur etiam in deli-
beratum, & solemnizatum, deliberatum,
& non solemnizatum, & nec deliberatum,

nec solemnizatum. Deliberatum, & so-
lemnizatum est, quando testes jurant ad
sancta Dei Evangelia in præsentia judicis,
vel aliquis præstat juramentum litis deci-
sivum. Deliberatum, & non solemnizatum,
quando quis in occulto jurat aliquid
cum deliberatione, intendens illud per di-
vinæ veritatis testimonium confirmare.
Non deliberatum, nec solemnizatum est
quando quis jurat in sermone, non atten-
dens, quem invocet, & ad quid, sed qua-
dam consuetudine. Turrecrem. in c. habe-
mus. num. 3. 22. qu. 1. & Graff. decif. 16. m. 1.
lib. 2. par. 1.

Licitum efficitur † juramentum novem
de causis, septem, propter bonum intro-
ducendum, & duabus, propter malum a-
movendum. Primo, pro veritate confir-
mando, ut c. non est. 22. qu. 1. c. quanquam.
14. quest. 2. & cap. fin. de jur. Secundo, pro
veritate declaranda, quia in ore duorum,
vel trium stat omne verbum cap. licet. de
resta. Tertio, pro pace confirmando, c. om-
ne quod 2. 1. quest. 1. Quartio, pro amico-
rum animis conciliandis. eod. cap. omne. &
cap. novit. de judic. Quinto, pro fidelitate
servanda, pro qua venerunt senes Israel ad
regem, qui percussit cum eis fœdus coram
domino, 2. reg. cap. 5. & cap. signifi. ast. de
elect.

R 1 3 elect.

elect. Sexto, pro fide, pro obedientia, & pro unitate, sicut juraverunt viri Galilæi ad Ieppe. *Iud. cap. 11. & cap. significasti §. adjunct. vers. hoc. nimirum. de elect.* Septimo, pro consuetudine Ecclesiæ servanda, pro qua canonice cathedralium juramentum præstant, & filii Israel data lege juraverunt se domino servituros, *Exod. cap. 24.* Octavo, pro calumnia evitanda, ut, quando præstatur juramentum de calumnia, quod præstari potest in qualibet parte litis, tam ante quam post litis contestationem, *c. 1. de jur. calum. 6.* Nonò, pro infamia tollenda, quæ juramento, & testibus purgatur, ut extr. *de Purg. canon. pertot.* unde versus, Pax, & fama, fides, reverentia, cautio danni, Defectus veri, sibi polcunt magna carveri, gloss. in *cap. significasti. in verb. pro unitate. de elect.* in *cap. nullus, de jur. jur.* & Graff. *decis. aur. cap. 15. numer. 5. par. 1. lib. 2.*

6. Illicitum † juramentum pluribus modis dicitur, primò, ex persona jurantis, ut sunt impuberes, quorum juramenta non tenent, *cap. pueri, & cap. honestum. 22. quest. 5. & l. qui jurasse. de jur. jur.* Secundò, est illicitum ex persona, cui juratur, ut cum clericus in manibus laicijurat, quod non licet, *cap. nullus. 22. quest. 5.* Tertio, ex causa turpi obligatoria ad hoc impellen-
te, ut quando Herodes filiæ saltatrici juravit licet tolerabilius fuisset, promissum non facere, quam facere, quod turpe fuit, *cap. unusquisque. 22. quest. 4. & c. innocens, 5. unde vers. est enim. 22. ead. quest. 4.* Quartò, ex modo est illicitum, ut quando temere, vel indiscretè, aut sine necessitate juratur, ut fecit Ieppe, qui cum indiscretè jurasset, se immolaturum, quod ei victori re-
deunti de prælio primitus occurrit, fili-

am unicam, quæ ei primò præ gaudio illius victoriosi adventus occurrit, occidit, *Iud. dicto c. 11. in fin. c. si non licet, §. sed hū exceptus. 23. quest. 5. dicto cap. unusquisque, & cap. ita ergo. ead. 22. quest. 1.* Quintò, est illicitum ex tempore, ut si dominicis, vel aliis festis, & prohibitis diebus juretur, us
c. decrevit. ead. 22. qu. 5.

7. Irritatur † juramentum à pluribus, Primiò, à Papa, cuius auctoritate penitus illicita juramenta irritantur, *cap. auctoritatem. 15. quest. 6.* & subditos excommunicatorum excommunicationem contemnentum, à juramento fidelitatis absolvit, ut subditos magnorum Principum, contra quos ad aliam executionem deveniti non potest, per tex. in *cap. nos. ead. quest. 6.* & solus Papa à juramento quoque licito absolvere potest *c. aliis. ead. qu. 6.*

8. Secundo, † juramenta servorum possunt à dominis irritari, argum. *cap. si servus scientie. 54. dif.*

Tertiò, † juramentum uxoris, quia sui juris non est, à marito irritari potest, *cap. manifestum. 33. quest. 5.* licet propriè jus irritavit horum juramentum, non ipsi irritant domini, aut viri, dum dicimus dominos posse irritare juramentum suorum servorum, & mariti suarum mulierum.

Quartò, † juramentum monachi à suo Abbe, *cap. monacho. 20. qu. 4.*

Quintò irritari potest † juramentum ab Episcopo, qui, quotiescumque ex parte recipientis juramentum habet iniquitatem, absolvere potest, *c. si vero. & c. verum, de jurejur.* & Graff. *decis. aur. cap. 18. num. 33. par. 1. lib. 2.* & à simplici juramento ante incursum perjurii in pluribus casibus Episcopus absolvere potest, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis,

cap. quanto, de jure iur. & gloss. in cap. dilecti, in ver. juramenti. de major. & obed.

¹² Dividuntur & juramenta in multas, & varia formae, de quibus per Felyn. in eod. cap. dilecti. numer. I. & præstatur juramentum, quandoque à supremis Principibus, illud enim præstat futurus Imperator sub formæ sequenti. ¹³ Ego Romanorum Rex, annuente Domino futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor, atque juro, coram Deo, & beato Petro, me de cætero protectorem, & defensorem fore summi Pontificis, & hujus S. R. E in omnibus necessitatibus, & utilitatibus suis, custodiendo, & conservando promissiones, honores, & jura ejus, quantum divino suffultus adiutorio fuero, secundum leire, & posse meum, recta, & pura fide, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia, ut in clem. uni post med. ver. Ego N. de jurejur.

¹⁴ Præstatur & juramentum à Rege forma sequenti, Ego N. Deo annuente futurus Rex N. profiteor, & promitto coram Deo, & Angelis ejus deinceps legem, iustitiam, & pacem, Ecclesiæ Dei, populo, que mihi subiecto, pro posse, & nosse facere, ac servare, salvo condigno misericordia Dei respectu, sicut in consilio fidelium meorum melius potero invenire, Pontificibus quoque Ecclesiarum Dei, con dignum, & Canonicum honorem exhibete, atque ea, quæ ab Imperatoribus, & Regibus ecclesiis collata, & redditæ sunt, inviolabiliter obseruare, Abbatibus, comitibus, & vasallis meis, congruum honorem secundum consilium fidelium meorum præstare, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia, in pontificali

Romano Clementi. VIII. jussu editio
fol. 128.

Ab Episcopis & autem præstatur in forma sequenti. Ego N. electus ecclesiæ N. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro Apostolo, Sanctæque Romanae Ecclesiæ & D.N.D.N. Papæ N. suisque successoribus canonice intrantibus, non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut mem brum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet inge rantur, vel injuriæ aliquæ inferantur, quo vis quæsto colore, consilium verò, quod mihi credituri sunt per se, aut Nuncios suos, seu litteras ad eorum dānam me sciente, nemini pandam, Papatum Romanum, & regalia Sancti Petri, adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ Sedis in eundo, & rediendo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo, juro, honores, privilegia, & auctoritatem Sanctæ Romanae Ecclesiæ Domini nostri Papæ, & successorum prædictorum conservare, defendere, augere, & promovere curabo, neque ero in consilio vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudiciale personarum juris, honoris, status, & potestatis eorum machinentur, & si talia à quibuscumque tractari, vel procurari novero, impediām hoc pro posse, & quanto citius potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire, regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sive dispositiones, reservations, provisiores, & mandata Apostolica,

stolica, totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari, hereticos, schismaticos, & rebelles eidem Domino nostro, vel successoribus praedictis, pro posse persequar, & impugnabo, vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica præpeditione, † Apostolorum limina singulis trienniis personaliter per me ipsum visitabo, & Domino nostro, ac successoribus praefatis rationem reddam de toto meo Pastorali officio, as de rebus omnibus ad meæ ecclesiæ statum, ad cleri, & populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei traditæ sunt, salutem quo-vis modo pertinentibus, & vicissim mandata Apostolica humiliter recipiam, & quam diligentissime exequar, quod si legitimo impedimento detentus fuero, praedicta omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio meo capituli, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut his mihi deficientibus per diocesanum sacerdotem, & clero deficiente, omnino per aliquem alium presbyterum secularem, vel regularem spectatae probitatis, & religio-
nis de supradictis omnibus plenè instru-
ctum, de hujusmodi autem impedimen-
to docebo per legitimas probationes ad
S.R.E. Cardinalem proponentem in con-
gregatione sacri concilij, per supradictum
nuncium transmittendas, † Possessiones
vero ad mensam meam pertinentes non
vendam, nec de novo infundabo, vel alio-
modo alienabo, etiam cum consensu
capituli ecclesiæ meæ, inconsulto Roma-
no Pontifice, & si ad aliquam alienatio-
nem devenero, pœnas in quadam super
hoc edita constitutione contentas, eo

ipso incurrente volo, sic me Deus adjuvet
& haec S. Dei Evangelia, ut in eo Pontifici
sol. 79.

Iuramentum † autem vasalli, quo fideli-
tas præstatur, in se habet, quod qui domi-
no suo fidelitatem jurat, ea semper in me-
moria debet habere, incolume, tutum, ho-
nestum, utile, facile, possibile, sed, quia non
sufficit abstinere à malo, nisi fiat etiam
id quod bonum est, ultra sex supradicta co-
silium etiam, & auxilium domino suo fi-
dele præstare tenetur, si beneficiis dignus
vult videri, & salvius esse de fidelitate jurata.
cap. de forma, 22 quest. 5. cap. i. de form.
fidel. & cap. i. de nov. form. fidel. in us. feud.
9 † Et, quia ardua quæstio, an, & quomodo
fœmina sit capax feudi, & juramentum fi-
delitatis præstare possit, de qua per Iser, &
Iac de S. Georg. in tract. de feud. fœmina
tamen est capax, feudi, & ad præstandum
homagium, vel fidelitatis sacramentum,
admittitur etiam abbatissa, vel priorissa
monialium pro feudo, quod monasterium
suum tenet ab aliquo Principe, seu domi-
no temporali. cap. unic. §. verum quando. de
stat. reg. in 6.

Et Pius IV. motu proprio statuit, &
ordinavit, quod nullus docto, magister,
regens vel alius ejuscumque artis, & fa-
cultatis professor, secularis, vel cuiusvis or-
dinis regularis, in quibusvis studiorum ge-
neralium universitatibus, aut gymnasii
publicis aut alibi ordinariam, vel extraor-
dinariam lectoris cathedrali assequi, vel
jam obtentam retinere, seu alias Theologi-
am canonicam, vel civilem censuram, me-
diciam, philosophiam, grammaticam, vel
alias liberales artes, in quibusunque locis
etiam in ecclesiis, monasteriis, aut conven-
tibus regularium quorumcunque publice,
vel

vel private in quoquo modo profiteri, seu electiones aliquas in facultatibus hujusmodi habere, vel exercere. † Neque doctores ipsi, vel alii superiores, ad alium gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere, & admittere, neque doctores, magistri, & scholares ad electionem alie-
nus in rectorem, vel cancellarium universitatis, aut gymnasii procedere, nec ipsi scholares, vel alii gradus hujusmodi palam, vel privatim recipere valeant, nisi ante illorum receptionem, vel admissionem in Ordinarii loci, vel ejus in spiritualibus Vicarii manibus catholicam fidem, verbis iuxta formae infrascriptæ tenorem conceptis, palam, & solemniter profiteantur, ut in litteris Apostolicis Pij IV. incipien-
tia sacra B. Petri circa princ. Et ita eventum. † contraventionis Episcopi interdicti poenam ab ingressu ecclesiae, inferiores vero excommunicationis latæ sententiae, privationisque omnium, & singulorum, dignitatum, beneficiorum, officiorum, & feudorum eo ipso poenas incurant, ut in eisdem litteris, §. ac omnibus in Bullar. Rom. cap. 112. tenoris infrascripti.

Forma † autem dictæ professionis fidei hæc est. Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo S.R.E. utitur; videlicet Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ visibilium omnium, & invisibilium, & in unum Dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum, & ex parte natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantiale patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, & propter nostram salutem

descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus, & sepultus est; & resurrexit tertia die secundum scripturas; & ascendit in cœlum: sedet ad dexteram patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cuius regni non erit finis, & in Spitem sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex patre filioque procedit; qui cum patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per prophetas; Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicium de vero sensu & interpretatione sacra- rum scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum patrum, accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse veræ, & propriæ sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet, baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his baptismum, confirmationem, & ordinem sine sacrilegio reiterari non posse, receptos quoque, & approbatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione reci-

Ss pio.



pio. & admitto: Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in sacroſancta Tridentina synodo definita, & declarata fuerant, amplector, & recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in sanctissimo eucharistia sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, unà cum anima, & divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantia panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum lumi: constantem teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suū fragijs juvari: similiter, & sanctos unā cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter affero, imagines Christi, ac deiparæ semper virginis, nec non aliorum sanctorum habendas, & retinendas eff., tque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgientiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia reliquat fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem eff. affirmo: sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem, & magistrum agnoscō, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro; Cetera item omnia à sacris canonibus, & cœcumenicis cōcilii, & præcipue à sacroſancta Tridentina Synodo tradita,

definita, & declarata indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijsio, & anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integrum, & immaculatam usque ad extrellum vitæ spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, tenere, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia, ut in eodem cap. 122.

²⁴ Omnesque † quos cathedralibus, & superioribus ecclesiis, vel quibus de illarum dignitatibus, canoniciis, & aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis curam animarum habentibus provideri continget, publicam orthodoxæ fidei professionem facere, seque in Romanæ Ecclesiæ obedientia permanuros, spondere, & jurare, tenentur, conc. Trid. in c. 1. art. med. c. 12. d. de f. for. sess. 24. & Pius IV. † in eod. Bull. Rom. c. 114. & ad minus infra duos menses à die adeptæ possessionis in manibus Episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus Vicario eandem tenentur orthodoxæ fidei publicam facere professionem, † canonici vero, non solum coram Episcopo, sed etiam in capitulo idem facere tenentur, alioquin prædicti omnes provisi, ut supra fructus non faciunt suos, acc illis possessio suffragatur. conc. Trid. eod. c. 12. §. præf. autem, † & fructus præbendæ tantum hoc casu amittunt, qui sine autoritate

Autoritate Papæ remitti non possunt. conc.
Trid. in decis. super eod. 12. &c in Bull. c. 112.
& 114. & quod teneantur fidei professio-
nem emittere, fuit etiam super. eod. cap. 12.
28. & 30. Sacra congreg. decisum, sub tit. Vercellen.
& Cremonen. & ubique dubitatur, an

juramentum sit licitum, vel illicitum, & id-
em servandum, vel non servandum, ad Pa-
pam, & forum ecclesiasticum tantum co-
gnitio spectat, c. venerabilem, circ. a. si. & ibi
Inn. n. 6. & Abb. n. 12. de elect. & hæc brevi-
ter de juramentis mihi dixisse sufficiat.

DE VOTO, ET VOTI DISPENSATIONE.

Cap. XI.

S V M M A R I V M.

- 1 Votum, quid sit.
- 2 Votorum plures sunt species.
- 3 Votum necessitatis, est illud, quod quis in baptismō emittit.
- 4 Votum voluntatis, est illud, quod quis re-
luntariē emittit.
- 5 Votum voluntarium est duplex, solemne,
& simplex.
- 6 Votum simplex est duplex, tacitum, vel ex-
pressum.
- 7 Votum, iuramentum, pactum, consuetudo,
& lex, quando servari non debe-
ant.
- 8 Votum, ut sit validum, considerata tantum-
modo persona voventis, tria requiriun-
tur.
- 9 Votum vovere non potest Episcopus, per
quod vinculum, inter ipsum & suam
Ecclesiam dissolvatur.
- 10 Vovere non potest monachus sine consensu
sui Abbatis.
- 11 Votum peregrinationis, clericus secularis
sine consensu suo Episcopi emittere non
potest.
- 12 Vir, & uxor, qua vovere non possint.
- 13 Impuberes, quando validè vovere possint,
vel non possint.
- 14 Vovere non potest servus quidquam, que
servitum domini minuatur.
- 15 Voto nemo potest se firmiter obligare in
hunc, in quibus alteri subiicitur, sine
illius consensu.
- 16 Vota sub pena peccati mortali sunt ser-
vanda, & quamprimum etiam im-
plenda.
- 17 Votum metu factum, quando non obli-
get.
- 18 Matrimonium metu factum non te-
net.
- 19 Puella meticulose monasterium ingressa,
cum habitus ante legitimam etatem
professionis gestatione, potest exire, &
habitum dimittere.
- 20 Votum factum in minori etate, non obli-
get adveniente pubertate. nisi ratifi-
cetur expresse.
- 21 Votum irritare possunt y, in quorum po-
testate voentes existunt.
- 22 Obligatio semel extincta, nunquam re-
vinscit.

§ 3. 2. Vota